



Iacobus natus est die 25 Martij anno 1528 in urbe Sueuiæ, quæ sub ducis Wuirtembergensis principatu sita Vueiblinga appellatur. Vnde etiam olim Gibilini sub Friderico Barbarossa exorti. idèq; parentibus honestis, utpote patre Iacobo Andrea In golstadiano, qui artem Mechanicam fabrilè exercuit. matre uerò Anna Vueiskœpfssin Gundelfinga superioris Palatinatus oppido oriunda. Prima autem literarum & artium dicendi rudimenta anno ætatis 10 Stutgardie percepit, ducatus Wuirtembergensis metropoli. præceptore usus uiro doctissimo M. Alexandro Marcoleno. Inde biennio elapso clementia & liberalitate illustris. principis V-

dalrici ducis Wuirtembergensis in collegium (quod pijsimus princeps ad instaurandam & conseruandam doctrinam Euangelij, & honesta studia iuuantanda Tubingæ instaurauerat) receptus, institutum suorum studiorū cursum continuauit. Præceptoribus ibi uarijs usus doctissimis, quibus collegium studij bonarum artium tunc abundabat. In philosophia quidem principe uiro D. Iacobo Scheckio, cuius eruditio extra omnē ingenij aleam posita est. In Theologia uerò D. Erhardo Schnepffio, uiro pietate, eruditione, & eloquentia clarissimo. Sub ijs adèd profecit ut ætatis suæ 17 anno alteram laureã gradus philosophici accipiens, priuatim artes dicendi per annum docuerit. Sequenti anno, qui fuit ætatis eius 18 uxorem duxit honestissimã, Annam Ioannis Entringeni ciuis Tubingensis filiam, pudicitia & modestia singulari commendatã, ex qua postea duodecim suscepit liberos, masculos sex, & femellas totidem. ex quibus Susanna & Iudith in infantia mortuæ, reliqui adhuc omnes Deo in terris uiuunt.